

05
A
871



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-522951-p0002-0

DFG

12
Q. D. B.V.

De

V I S U,

In illustri ad Albit Academia,

disputabunt publice,

P RÆSES

M. JOH: ERNESTUS HERZOG,

Dresdens. Misn.

&

RESPONDENS

MATTHIAS VVALTHER,

Pettelsd. Hung.

Ad diem VII. Aprilis,

In Auditorio veteri.

WITTENBERGÆ,

Literis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

ANNO M DC. LXXVII.

N.S. 2.

o

V I S U

Allemannia Lipsia Academica

liberum punctum publicum

M. J. O. H. B. R. M. D. O. G. S. H. E. R. O. G.



RESPONDENS

MATTHIAS VON VALTHER

1871

ANNO MDCCLXXI

IN LIBRIS

COLLECTORUM

LIBRARUM

UNIVERSITATIS HENCKELI

ANNO MDCCLXXI

B. C. D.

DRÆSTANTISSIMA, qvam aggredi-
mum, materia de VISU est, sed
nec difficultate sua caret. *Est il-*
la, inquit Francisc. Vallesius L. II.
controv. c. 30. omnium quæstionum de animæ o-
perationibus celebratissima, & dogmatis ambi-
guitate & autorum gravitate. Et Jul. Casser.
Placent. L. XI. nov. anat. c. 44. circa hoc περὶ βλητοῦ,
ait, opinionum Myriades sunt, ut ne quidem
Hercules ipse cum iis luctari sufficiat. Desuda-
runt jam olim in ea celeberrimi nominis Viri,
tantum tamen absfuit, ut non dicam omnibus,
sed eruditioribus modo satisfecerint, ut in iis
ipsis, quæ accuratissimè pertractasse sibi visi fue-
rant, semper aliquid desideratum fuerit: Argu-
mento certissimo imbecillitatis humanæ, qvod
nec oculis nec animo id ipsum satis videamus,

A 2

qvo-

quomodo aut quid videamus. Nos , qvibus etiam in magnis cadere pulchrum , in præsenti eam assumimus , sequturi non nostrum , sed aliorum excellentissimorum virorum , qva præuent , judicium. Qvod ipsum ut cedat felicer , faxit is , qvi videt & moderatur omnia.

§. I.

DE cauſa efficiente VISU dicendum primum eſt. Eſt autem illa vel *Principaliſ* vel *Inſtrumentaliſ*. *Principaliſ* remota eſt anima in brutis ſenſitiva , in homine rationalis. *Proxima* facultaſ cognoscens eſt. Nulla enim ſubſtantia creata immediatum actionum ſuarum *Principium* eſt , ſed qvicqvid vel agit vel patitur , per suas potentias eſſentiaſ ſuperadditas præſtat. *Inſtrumentaliſ* , Spiritus animales ſunt , qvi ex cerebro per nervos opticos in organum deferuntur ; ac ſpecies viſibiles retinæ impressas recipiunt , ſenſuique communi tradunt. Hi ergo ſunt vehiculum ſenſationis ; hiſ præſentibus ſit viſio , ſine iis impeditur , exemplo eorum , qvi ſe circumgyrant , & qvi deliquium animi patiuntur.

§. II.

Sensorium ſive organum ſunt Oculi. Parva ſane & exigua corporuſcula , tam eleganter tamen à natura exornata , ac mirabiliter munita , ut *Blemor Arabicus* & *Syrenſis* medicus *Cyprius* in iis ſedem animaſ ſtatuerint. Habent enim convenientiſſimum ſitum , qvandoqvidem in altiſſimo loco , ſpeculatorum inſtar , collocati ſunt , ut qvicqvid ubiqve advenire poſſit , prævideant. Partibus excelsis ſepiuntur undique , intra ſuas orbitas utiliſſime latent : muniuntur palbebris , villisqve pilorum ; fenestræ ſunt , ſpecula , indices animi , qvatenuſ omnes animi motus paſſionesqve indicant , adeoqve varietatibus innumeris leſe compoñunt.

§. III. Ma-

§. III.

Maxime tamen interior structura eorum notabilis est. Concurrunt ad eam septem, seu ut alii volunt, novem musculi, quibus oculi moventur, ad quamlibet partem sursum, deorsum, dextrorum, sinistrorum & in circumferentiam. Porro nervi optici. Hi ex cerebro oriuntur, & ad oculos tendunt, ita quidem, ut qui à dextra oritur, ad sinistram tendat, & qui à sinistra ad dextram. Sunt vero non, ut Galenus vult, cavi, sed solidusculi, licet qua substantiam interiore moliores. Præterea crassiores aliis. Quia enim inquit Gerh. Joh. Voss. de O. & P. J. p. 846. ob multiplicem oculi actionem, nulli Spiritus animales celerius ab sumuntur, quam visorii, ideo nervos hocce Deus fecit crassiores, quoque uberior eos spiritus permeat, melius videmus, si paucus nimis sit, debilis visus erit. Hi ergo ductus & meatus spirituum animalium sunt.

§. IV.

Tunicae succedunt, quarum numerus apud Autores variat. Aliis enim tres, aliisque quinque, nonnullis sex, imo septem numerantur. Nos salvo aliorum judicio, quinariatum cum B. Sperlingio, aliisque retinemus numerum: Primo autem loco ponimus *Adnatam*, quae totum oculi bulbum contegit, proinde etiam ceteras comprehendit. Altera *Cornea* pelluciditate sua conspicua est. Levis enim est, & polita, ne species pravè ac cum deformitate deferat. *Uvea*, quae sequitur, à figura sic dicitur: Similis enim est folliculo uvæ, à quo pendulo detracto foramen relinquitur; hæc nigrore suo obscura reddit penitiora oculi, ut melius videamus. Habet præterea fenestellam, quæ pupilla vocatur, græcis οφην. *Aranea* alias ob nitorem specularis, subtilissima est, & humorem Chryallinum ambit tegitque. *Retiformis* denique sive retina sic dicta, non quod retis infar sit cancellata, sed ob figuram quam refert retis contracti. Siquidem ut ait Rufus Ephesus, ex angusto inlatum diffunditur, si- nnaturque. His addunt alii vitream, quæ ambit humorem vi-

treum : ac rendineam uti vocat eam Realodus **Columbinus** Anatonicus Romanus L.32. citante Vossio l.c.

S. V.

Humores quod attinet, sunt illi *Aqueus*, *Chryſtallinus*, *Vitreus*, nec sibi nec tunicis continuo, contigui tamen tunicis ac sibi deinceps. Extimus eorum est *Aqueus*. Species hic ad humorem Chryſtallinum defert, & uream ab eodem separat. Præterea tunicam corneam distendit, ne si corrugetur, species perperam ad humorem Chryſtallinum transmittatur. Hunc inter & vitreum suspensus est *Chryſtallinus*, sic dictus quod Chryſtallum ſive glaciem referat, non duritie, sed pelluciditate. Expers hic omnis coloris, quo meliore fide colorem reprælentet tunice retiformi: perinde ut aqua insipida debet esse, siquidem faporis capax fieri velit. A tergo vero hujus *vitreus* est, sic diuersus à similitudine vitri, partim liqefacti, partim frigefacti. Fluit enim instar liqefacti, sed differt ab eo, quod vitrum non pelluceat liqefactum: pellucet vitri instar frigefacti, sed differt ab eo, quod hoc non fluat. In hoc pupilla quodammodo natat, ita tamen ut aliquva sui parte extra illum humorem emineat, ſicuti liqveus globulus super nataret aquæ.

S. VI.

His ita consideratis expendendum porro est, quodnam temperamentum organi sit? Ignem voluere Pythagoras, Empedocles, Plato, Galenus; Democritus autem & Aristotle *Aqueum*, quibus cum B. Sperlingio aliisque nos subscribimus. Aqueam enim potius quam igneam naturam ejus esse, arguunt humores, quibus præcipue conſtat oculus. Et licet vitreus & chryſtallinus aqua pura non ſint, neque tamen purus ignis ſunt; quin etiam eo ipso quo perſpicui ſunt, & lumen facile admittunt, de ſua natura teſtantur: Aquæ enim & Aeris haec in primis competent. Tunicae porro licet ſiccitatem habeant, terrea tamen illa potius quam ignea eſt. Est quid de humore dicemus? Multum
humor-



humoris, inquit B. Sperling: in expurgatione sua emittunt. Itenti
ultimo loco in fætu à natura perficiuntur, humor enim & frigus,
quibus abundant oculi, difficilius concoquuntur, & ad certum tem-
peramentum rediguntur, Disp. de Visu.

§. VII.

Nihil ergo sillos juvat, vel mobilitas oculorum, vel exem-
pla hominum iracundorum, Tiberii, Catorum, &c. Velocitas e-
nim illa motus potest provenire à lubricitate eorum, item causa
motiva & copia Spirituum qui per nervos opticos ad oculos de-
rivantur. Potest etiam à multitudine muscularum esse, & sic
porrò. Oculi iracundorum quod ardent, id non spiritibus in-
sitis, sed adventitiis debent. Et si Tiberii oculis, vel maximè lu-
cis aliquid concederemus collectitia tamen illa non nativa foret,
maxime cum brevi rursus dissipata fuerit. Catos quod attinet,
& alia animalia oculis noctu etiam lucentibus prædita, dici-
mus, præterquam quod hæc argumentatio particularis, probare
tantum, quoddam lumen insitum, minimè omnium verò totum
oculum esse igneum. Qva de re juvat adducere Scaligerum,
qui refutata priore sententia tandem subjicit, exercit; 297, sect.
3. hæc verba: *Aqua ergo est in oculo, illustris tamen nec sine aere,*
tam solida, ut confidere possit ibi species; tam rara, ut per eam pe-
ntrare ac transmitte porrò queat.

§. VIII.

Hic vero satis intricata ac vexatissima sece offert quæstio,
in quam oculi parte fiat visus? Veteres ac nominatim Hippo-
crates, Aristoteles, Galenus, aliiq; in humore Chrystallino eam
fieri asseruerunt. Quam in rem Galenns maxime in hoc humo-
molliriei concinnitatem laudat; Nihil enim hac forma substanciæ
videtur ad impressionem specierum commodius. Adducit
insuper situs oportunitatem. In medio quippe hic humor, ut su-
pra dictum, situs & hinc maxime vigidus, Coloris claritatem quo-
que commendat, siquidem pellucidus, & omnis coloris expers
est; adeoq; ad colores omnes percipiendos aptissimus. Denique
ad tegumentorum virtutem provocat, maximè verò araneæ cæ-
vorēm



vorem, fulgorem, & nitorem. His adjunctis, ut nihil ad exhibendas omnium rerum imagines conducentius assent, maxime cum à tergo accedit humor vitreus ac subobscurus, sic plerique omnes in ejus verba jurant. Unde non minus acute quam salse Plempius Ophtalm. l. i. c. 17. illos perstringit: *Hic est ille inquisens, cuius tot encomia celebrantur apud medicos, cui hymnum pene inscriuit Galenus: hic est, quo prodeunte totum personat anat oculum Theatrum, alio ipsum suspiciente, alio etiam adorante, quibusdam adamantem, gemmam, animam, specillum oculi, & aliter appellantibus, omnibus vero una conclavansibus, esse partem oculi principem.*

S. IX.

Liceat verò hac in parte nobis ab his summis alias viris modestum facere divertium, ac veritatem potius quam illorum autoritatem seqvi. Cum enim omnis sensio membrorum animorum interventu fiat, nervi autem talia sint, certè non poterit vis videndi humori chrystallino tribui, qui nervus non est, sed vita ac sensus omnis expers; Licet enim sua aranea vestiatur, non perinde tamen illam continuatam cum nervo habet; sejuncta ea est à retina, & terminus tantum, quo mollities hujus humoris continetur. Facit hoc præterea ejusdem secundum oram sui extreamam in ciliares insertio, quæ satis monstrat appensum eum tantummodo, quo radiis ulterius tendentibus præbeat trajectionem. Et qualis in illa parte fiat visio, quæ ordinatas species confuse, confusas ordinate repræsentat? Speciem insuper non per modum manentis, sed transiuntis recipit; quæ una cum aliis pluribus de humore Chrystallino vera esse ad oculum demonstraverunt autores passim.

S. X.

Attamen, inquiunt, laeso Chrystallino aboletur visio. Nihil ad rem: deperditur illa quoque corrugata vel incrassata Cornea, humore aqveo effluxo; quis autem dicat fieri in iis visionem? perit visus obstructo nervo optico, salvo humore Chrystallino, nec organo modo depravato, sed & ceteris depravatis impeditur

tur visio. Infirmum ergo argumentum. Et quid multa? pœ-
test animal etiam absqve humore Chryſtallino, licet confusæ,
videre; ostendit id Chirurgus Parisiensis, quando morbum il-
lum, quem cataractam vocant alijs, ipsum Chryſtallinum humo-
rem temporis tractu flaccidem esse notavit, qvi etiam à pro-
cessibus ciliaribus ita ſecernatur, ut nullo pene negotio emoveri,
deprimiq; in ipsum vitrei humoris fundum poffit, tantuſa inte-
rim parte vitrei invadente locum ab ipſo relictum. Sed hæc a
lii relinqimus.

S. XI.

Qvod ergo alii humoris Chryſtallino, id nos tunicae reti-
formi tribuimus. Per nervum enim, uti ſupradictum fit ſenſio:
hæc autem membrana tota, qvod anatomia monſtrat, ex intima
nervi optici ſubſtantia conſtat, imo ipſiſimius nervus opticus di-
latatus & expaſtus eſt. Sicut ex nervi meditullio, inquit non nemo,
& cerebri medulla procedit, ita prorsus cavernulis, preſertim in
exitu ad radicem, ubi neruo coheret, ad ſpiritus virales deverbendos
eſt plenifima, cujusmodi ponit in aliis oculi tunicis aut humoribus
nulli viſuntur. Unde certum eſt ipſam ſpiritibus viſorit plenifi-
mam: in ea autem corporis parte, in qua ſpiritus ſenſitivi domi-
ciliū proprium fixerunt, ſedem etiam principalem ſenſus illius ſtatua-
tam natura eſſe, in confeſſo apud doctos eſt. Proinde hæc tunica
ſubjectum viſionis ultimatum & proximum eſt. Ad hanc ſpe-
cies viſibiles, ubi per pupillam ſub intrarunt ac omnes humorē
transierunt, tendunt, ut repræſententur: hæc colores à Chry-
ſtallino humore impactos retinet, ac repræſentat. De colore
& figura, aliisq; qvæ urgenter, nihil adducimus nec autori-
tates, qvas abunde congeſſere alii, huic adſcribimus. Ipuſum
B. Sperlingium tantum citabimus, cujus in diſputat de modo
viſi. Anno 1640. Thes. ſi. hæc ſunt verba, tandem, in oculo ſci-
eet, tunica retiformis adeſt, mollis & alba, principale viſus organum,
nervum opticum ſpiritus animalis latorem proxime tangens: & di-
ſputat de ſenſi. Anno 1635: membr. 2. Enq. 4. in tunica retiformi ſpe-
cieſ

B

cties visibiles ab humore vitro communicatas persentisci statuimus;
Hanc principale visus organum esse afferimus, atque id ex ratione
nervi proxime eam attingenit, convincimus.

S. XII.

Nec tamen nostri sumus adeò immemores, ut in tunica re-
tiformi visum peragi afferamus, quem tamen ut sensionem o-
mnem, cerebro vindicavimus alibi. Adhuc enim salva illa af-
fertio; modò distingvatur subjectum commune sive universale,
à particulari sive singulari. Verum est visionem fieri in cerebro,
ut subjecto communi, verum est fieri in tunica retiformi, ut sub-
jecto particulari. Est enim in omni sensorio externo pars quæ-
dam, quæ præcipue usui est ad movendam facultatem existen-
tem in cerebro, ut fiat sensio, cum cerebrum ipsum non videat
species coloris & lucis, sed oculus, nec audiat verba colloquenti-
um, sed auris, & sic in reliquis. Ethæc de organo ob contro-
versiam illam prolixius.

S. XIII.

Objectum visus vel fundamentale vel formale est. Funda-
mentale iterum vel commune vel proprium. Commune dicitur,
quod à reliquis sensibus etiam percipi potest, nec tantum vide-
tur, sed etiam auditur, tangitur, &c. Plura hujus generis alias
recessentur: quemadmodum Gerh. Johan. Vossius l.c. viginti
numerari hic afferit, quæ tamen omnia, ut adjicit, commode ad
motum, quietem, figuram & magnitudinem, vel etiam ad pro-
prium objectum, quod lux & color, revocari possunt. Hec ipsa
non videntur sine luce & colore. Objecta enim propria modis istis
determinantur; circa concreta versatur sensus, non circa abstracta,
concreta habent magnitudinem, figuram, habent cetera. Ut ergo
sunt, in sensibus cognoscuntur: hinc videt Petrus querum proceram,
fambucum humilem, rotundæ pyra & poma, inquit B. Sperling:

Zool.



Zool. p. m. 47. *Proprium objectum non solus color ceditus & acceptus: dantur enim corpora, qvæ colorata non sunt, & tamen videntur, ut ignis, stellæ aqua, &c. Sed & lux & color. Id omne enim est visibile, & per conseqvens objectum visus, qvod speciem suam perspicue imprimit, & ad oculum transmittit, ut moveatur facultas, qvod certe lux & color præstant. Ubi tamen observandum adhuc, lucem per se esse visibilem, siquidem etiam in densissimis te-nebris videatur, colorem vero per aliud, scilicet per lu-men, qvod nisi adsit, ipse visibilis non est.*

§. XIV.

Objectum formale non sunt materiales imagines qvas e corporibus ejaculari volebant Democritus, Leucipus, Epicurus; Qvomodo enim objectum non cito consumeretur, tot ex se emissis particulis substancialibus? Multo minus corpora ipsa materialia; hæc enim non ingrediuntur organum: sed species visibiles, seu imagines ab objecto visibili sparsæ, puræ & à concretione materiae liberae, juxta qvam sensus de objecto judicat. Visus enim perinde ut sensatio-nes reliqvaæ per species ab objecto sparsas, unientes objectum cum sensu, absolvitur. Variis alijs hæc ipsæ species insigniuntur nominibus, alijs idola, imagines, spectra, alij formæ, species spiritales, intentionales, qualitates intentionales & spiritales audiunt. Nec minus variè autores tam essentiam qvam existentiam earum demonstrant, ut non opus sit hic argumenta eorum adducere: Tantum urgemos necessariam unionem potentie cognoscens & objecti sensibilis, ad sentiendum: Et hac evicta proportionem inter recipiens & receptum requirimus, ne hoc illi sit contrarium. Adjicimus denique, spargere objectum non unam sed innumeræ ex qvolibet sui punto species, unde est, qvod idem simul à multis videri possit, alia semper ad alium oculum appellente specie.

§. XV.

Succedit medium qvod conjungere debet objecta & organum; spatum enim oportet ut intercedat inter sensile & sensorium visus, si quid videre velis. Nec immediata objecti ad sensorium oppositio sufficit, quin potius ea visionem impedit. Medium vero illud, non, ut *Democritus* voluit, *vacuum*, vel *densem*, & *opacum*, sed *diaphanum* est. Quænam autem sunt, quævis perspicua? Aggreditur id explicare Alstedius *Encyclop.* Opt. part. i. cap. 8. p. m. 1493. perspicuorum inquit corporum quatuor classes sunt. Prima classis est *Cælum*, per quod radii stellarum libere transiunt. Et hoc, corpora perspicua inter est omnium primum ac subtilissimum. In secunda classe est aer, qui propter subtilissimam partium tenuitatem non radiat, aut certe non efficaciter, unde nec oculos incessit. Interim aer videri potest colore alieno. In tertia classe est aqua, limpida scilicet, que proximum ab aere locum obtinet. In quarta classe sunt reliqua perspicua, que sunt compacta, ut lapis specularis, vitrum, chryſtallus, glacies, alumen, cornu, gemmae quædam, humores denique tunica, è quibus oculus est contextus. Nos pro opportunitate visus medio aerem venditamus, ob puritatem quam pro aqua obtinet, exactioremq; objecti representacionem.

§. XVI.

His ergo quantum ad præsens institutum sufficit, explicatis, superest, ut de modo visionis quædam subjiciamus. Igitur cum necessè sit, ut, si debeat visio fieri, res visa cum videente conjungatur, oportet, vel aliquid ab oculo egredi, & ad rem visam transfire, vel aliquid à re visa procedens ad oculum progressi, & in eo recipi, monente Zabarell. L. II. de visu, c. I. Neque enim natura persaltus agit, sed per gradus, nec extrema cum extremis copulat, nisi interveniente medio.

Tres



Tres proinde se offerunt sententiae, qvarum una pro *emis-*
sione pugnat, altera pro *receptione*, tertia *emissionem & rece-*

ptionem conjungit. vid. A. Gellius Lib. 5. cap. 16,

etiam illi de *magis* libro. Quod utrumque sicut in senten-

cia sua quidam sua. **S. XVII.**

Exactius ergo haec sententiae considerandae nobis sunt.
Pro emissione pugnant Pythagorei, existimantes, radios
qvsdam ex oculo, adusqve sensibile emitti, ac inde, ubi
impressa fuerit imago objecti, regredi sensionemq; nuncia-
re. Empedocles ex oculis emitte ignem docet. Plato ima-
gines qvidem & defluvia ex objecto ipso concedit, ignem
tamen subinde ex oculis emitte censet, non qvidem ad usq; ve-
res visas, sed ad lucem usq; externam, ad cujus occursum
qvasi compaginetur, & qvia pergere ulterius non possit,
qvasi intendatur, nisumq; exprimat, qvem sentiat anima-
re, atq; adeo rem in qvam dirigitur videat: Qyam in rem
evidens in Timaeo locus est; Inest corporibus nostris ignis
athereo simili, non absumens, verum illuminans portio ejus
crassior permanet in nobis, sed tenuior evolat, per oculos in
aerem, noctu autem ob tenebras evanescit, & extinguitur
contra die lumen externum, & illud oculorum ob similitudi-
nem sociatur. Unde saepe Platonicae corradiationis item
complantationis tam apud Plutarchum qvam Aristotelem
fit mentio. vid. Gerh. Joh. Vossius l. c. Stoici denique cum
his faciunt, contendentes prodire ex oculis radios, aerem
ad usq; rem visam prudentes intendentesq; ut inde vel-
ut conus fiat, cujus cuspis sit in superficie oculi, & in ipsa
revisa. vid. A. Gell. l. c. Plutarchus IV. placit. 15. De Eu-
clide & Ptolemæo idem sentientibus Alexand. in Lib. de
fens. & sens. Com. 7.

B 3

S. XVIII.



Ut autem veritas tanto evidentius pateat, falsitatem sententiae hujus primū destruemus. Qværim⁹ igitur ab illis emissionis pātronis, qvalisnam ille radius sit? aut spiritus, aut lumen, aut corpus est. Si spiritus, qvomodo is potest esse effectus oculi corporei? Si corpus, qvomodo visio sit in instanti? qvomodo flante vento radius ille corporeus non impeditur? Si lumen, cur non possumus in tenebris videre? Addimus præterea radium hunc facere potius rem videri, qvam ut ipse videat; nec obstat qvidqvam, cur non nocturno tempore obscurum aerem illustret; & quo modo qvæso non de die à majore lumine obfuscatur? qvmodo objectum remotissimum illustrat? qvas difficultates omnes nec nobis, nec sibimetipsis explicare possunt. Ignis Platonis atqve Empedoclis facile extinguitur. Aut enim omnium oculis talis ignis insitus, aut qvorundam? Si prius, cur non omnes etiam de nocte videmus? Si posterius, erit exemplum singulare, qvod regulam non facit. Excipiunt tamen, defectum lucis externæ id impediunt: Resp. nihil planè is hue facit, aliàs nec Tiberius vidisset. Nec obstat ignis exiguitas qvam in aliis desiderant; cur enim non v. g. mille hominum oculi tantùm ignis habeant, quantum unicus Tiberius? Nihilominus illi conclave aliquod, ut maximè in eo conjungantur, non illustrabunt. Compaginatio etiam lucis nulla est, qvomodo enim lux fiat diuiscula? qvodnam illud gluten, qvod externam lucem cum interna compaginet? Lux lucem sistere non facit, sed vel altera per alteram transmittitur, vel una cum altera diffunditur. Stoici denique cum radiis & eorum vehementia audiendi non sunt: Radius enim non procudit sed penetrat aerem, nec aer ipse ob fluiditatem suam dirigi tanta perniciitate potest: Quid? qvod si vel maximè moveretur, moveretur certè æqualiter, nec citius nec segnius, qvemad-

modum



modum id exemplo soni constat. Plura videantur apud
Zabarell. l. c.

§. XIX.

Sqvitur jam illa qvæ emissionem & receptionem simul probat scil. Platonis §. 17. adducta, Alhazeni aliorumq; sententia; qvæ tamen itidem nulla. Qvorsum enim natura, qvod vel per solam receptionem, vel solam emissionem perficere posset, utramque conjungeret? certe, ut non deficit benigna illa mater in necessariis, sic nec abundant insuperfluis, & qvod æque bene potest absolvere per pauca, non præstat per plura. Qvam in rem universam citam° verba Aristotelis, l. de sens. & sens. c. z. Illud omnino, inquit, metas egreditur rationis, nempe conspiciendi vim exente qvopiam videre, Et aut ad astra usque deduci aut cum ad certum qvodam spaciū profferit, cum lumine externo uniri, atque conjungi, sicuti quidam ajunt. Nam isto prestabilius id erat lumen conjunctionem in oculi principio fieri. Quanquam Et id quoque stultum; quid enim est lumen lumiñi conjungi, aut qvoniam pacto id esse potest? non enim quodvis cuivis sine discrimine conjugitur.

§. XX.

Nos pro receptione statim, non corporum, sed specierum visibilium. Id enim vult natura visionis; immanens actio haec est, non transiens: laeditur sensorium non aliunde nisi à receptione excellentis sensilis; splendore solis corrumpitur oculus, & per continuam aspectionem ignis, hebetatur visus. Finis quoque visionis id postulat. Is autem est non commodum in re visa, sed in vidente; vident bruta, ut devictu sibi prospiciant, & noxia declinent: homo videt, ut præter utilitates dictas naturam intueatur, ac inde naturæ auctorem inquirat, agnoscatq;. Præterea, cur visui alium

alium modum videndi atque alis sensibus tribuamus? Recepit auditus species soni, olfactus rei odoriferæ, nec tactus & gustus hic abeunt, solus ergo visus id non habebit? Structura denique ipsa oculi & natura, quam aqveam supra ostendimus, id evincunt. *Aqua enim proprium est recipere, non ut est aqua, sed ut transluces*, teste Aristotle L. de sens. & sens. cap. II.

S. XXI.

Ethæc de modo visionis, supersunt quidem adhuc alii, quibus nullus horum modorum placet, ut *Okamus* in 2. Qvæst. 17, 18. *Biel, Durandus*, in 2. Dist. 3. qvæst. 6. *Gregorius* & alii, qui nihil ad visionem amplius necessarium dixerunt, quam objectum visibile, ut sistatur coram oculo, & in luce sit; quibus cum consentit ex veteribus *Porphyrius*, de quo vid. *Nemes. Lib. de Natur. Hom.* 7. item *Lactantius Lib. de Opif. DEI* cap. 8. Sed quia iis ex parte respondit *Vossius* loco sape cit. alioq;, nec plura pagellarum angustia capit, nos hic subsistimus, dicentes.

S. D. G.



05 A 271

ULB Halle

003 761 053

3



VORP



Farbkkarte #13

B.I.G.

Black
White
3/Color

Red
Magenta
Yellow

Green
Cyan

Blue

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
Centimetres
Inches

B.V.

S U,

Ibim Academia,

int publice,

ÆSES

STUS HERZOG,

ens. Misn.

G


PONDENS

VVALTHER,

lsd. Hung.

VII. Aprilis,

ditorio veteri.



ENBERGÆ,

HENCKELII, Acad. Typogr.

M DC. LXXVII.